

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

clxxxiv [i.e. v]. Mixtio est miscibilum per mutuam in se actionem  
alteratorum unicio cum forma tertia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](#)

canonicatum, quæ physicè non repugnant  
in eodem subjecto, sed ex lege tantum  
Ecclesiastica. Quartò requirit conversio,  
ut terminus totalis à quo simpliciter desi-  
nat, *ad quem* simpliciter incipiat; simi-  
liter ut terminus à quo formalis definat,  
formalis ad quem incipiat, si terminus  
formalis dicatur esse unio cum isto ter-  
tio communi; secus, si termini forma-  
les dicantur esse ipsæ formæ, vel aliud quid  
incipiens & definens: sic de facto enim,  
dum homo comburitur, non perit ejus ani-  
ma, sed tantum desinit ea uniri materiæ:  
dumquæ resurget homo in judicium, ani-  
ma de novo non producetur, sed de novo  
unietur materiæ. Sic quoquæ in conversione  
Eucharistica opus non est, ut pereat sub-  
stantia panis; imò opus non est, ut re-  
cedat ex eo loco, in quo est corpus Chri-  
sti, sed tantum, ut definat uniri acciden-  
tibus suis.

V. MIXTIO, quæ hic non accipitur  
pro locali confusione rerum plurium abs-  
quæ physica unione continuativa earum-  
dem inter se, aut certè manentibus singu-  
lis in sua specie, qualis est mistio hordei

m 2

cum.

cum tritico , stanni cum argento , sed pro actione substantiali ( intellige terminative) quâ plura corpora diversæ speciei , per mutuam actionem & reactionem alterata usque ad perditionē propriarum formarum , transmutantur in aliam tertiam substantiam , seu acquirunt tertiam aliquam formam ; quod tertium ex hac nova forma & corporum alteratorum materia dicitur mixtum ; ipsa verò , quæ deperditâ propriâ formâ incipiunt informari istâ tertîâ formâ , dicuntur miscibilia. Talis est mixtio , dum ex conclusu & actione mutua terræ , pluviae , vaporum &c. generantur ranæ. Talis non est , dum unum elementum agendo in aliud vitoriosè , cōvertit illud in se v.g. ignis aërem. Definitur ea , quòd sit miscibilem alteratorum ( intellige per mutuam in se actionem ) unio : id est , unitio cum forma aliqua tercia : vel quòd sit generatio substantialis ex miscibilibus loco conjunctis & per mutuam alterationem ad corruptionem dispositis. Ita mixtio consistit formaliter in educatione unionis formæ mixti cum materia miscibilem , ita tamen , ut connotet hæc actio conjunctionem localem , continuationem ,

tionem , alterationem factam ab ipsis miscibiliis in se invicem actionibus in materia miscibilium ; & per hanc connotationem distinguitur à simplici generatione. Vocantur nihilominus ea etiam mixta , quæ constant temperamento primarum qualitatum ( qualia non sunt , in quibus prædominatur in gradu summo una tantum ex his qualitatibus ) etsi per mixtionem propriè talem producta non sint.

VI. AUGMENTATIO substantialis , per quam substantia acquirit plures partes substanciales physica unione sibi conjungendas , sive id fiat per juxtapositionem , sive per intrususceptionem , est motus à minore ad majorem substantiam . Differt ab Accretione sive augmentatione accidentalis , quæ est motus à minore ad majorem quantitatem . Ab opposita sibi diminutione , quæ est motus (intellige analogicè , cùm ad negationem , qualis est terminus *ad quem* diminutionis , non detur actio seu motus ) à majore substantia ad minorem . A generatione substantiali , quæ est productio novæ substancialiter simpliciter , quod sit productio substancialiter solùm majoris , adeoq; jam supponat substancialiter productam ,

m 3

cui